



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Conuerso, qui ex desperatione in piscina se suffocauit, cap. 41

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

via exempla recenter gesta referre, sed timeo quòd infirmis non expediat talia legere vel audire. APOLLONIVS: Ego iam satis didici, nihil fieri sine ratione, fortè ideo Deus talia permittit, ne aliquis, quantumlibet sit perfectus, de suis virtutibus vel virtutum operibus præsumat, sed Deo totum, à quo est bonum velle, posse, facere, & perficere, attribuat. CÆSARIVS: Verù dicis. Idcirco vxor Loth inobediens versa in statuam *Gen. 19.* salis, vt sit malis exemplum, bonis condimentum.

CAPVT XLI.

VIx sunt tres anni elapsi, quòd Conuersus quidam, ex nimia tristitia, finalem incurrit desperationem miserabiliter. Loquendo vel scribendo de huiusmodi tragœdiis nephandis, inuitus exprimo nomina locorum vel personarum, siue ordinis qualitatem, ne per hoc aliquam religiosus videar inferre verecundiam. Idem frater bene mihi fuit notus, vir à iuuentute vsque ad senectutem laudabiliter & sine querela inter fratres conuersatus, ita vt nullus illo videretur in ordinis obseruatione districtior, & in virtutibus superior: rarè loquebatur, rarè indultis consolationibus utebatur: nescio quo Dei iudicio ita tristis & pusillanimis effectus est, vt tantum de peccatis suis timeret, & omnino de vita æterna desperaret. Nò quidem dubitauit in fide, sed tantum desperauit de salute. Nullis scripturarum auctoritatibus poterat erigi, nullis exemplis ad spem veniæ reduci, modicum tamè creditur peccasse. Cui cum fratres dicerent, quid habetis vnde timetis, quare desperatis? Respondit: Nò possum dicere, sicut consueui, orationes meas, & ideo timeo gehennam. Quia tristitiæ vitio laborabat, idcirco acediosus erat, & ex vtroque nata est in corde eius desperatio. Positus in infirmatorio, quodam mane ad mortem præparatus ad magistrum suum venit, dicens: Non possum diutius contra Deum pugnare. Illo verba eius minùs considerante, ad piscinam monasterio proximam abiit, & in eam se præcipitans suffocatus est.

N y

CA-